Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 125
Quelle:
Copyright:

II. p. CDLXXIII. ſpecimen ex Evangelio *Forojul.* exhibet a noſtro tamen diverſum. Noſtrum cenſet *Capita* 28. quorum primum eſt: *Natiuitas chriſti. magi cum muneribus ueniunt. & ioſeph ab angelo per uiſum admonitus cum puero & matre ejus in aegyptum fugit. Infantes interficiuntur.* Et ultimum: *Paſſio ihesu & ſepultura. & reſurrectio eius. itemque mandata & doctrina eius de baptiſmo. Explicit Breuiarium.* His praemiſſis tandem ſub porticibus pulcre picturatis comparent *Canones Euſebiani.*

Fol. 21. charactere quadro aureo, argenteoque *Incipit Evangelium Secundum Math.* diſtributum in *Capita* XXVIII. quae reſpondent memorato *Breviario*, a linea quadrata miniata incipiunt, in marginibus adſtitutam habent harmoniam et in περικοπας minores tributa ſunt. Eodem modo ſe habent reliqui Evangeliſtae *foll.* 53. 76. 106. praeeunte videlicet noto *Argumento*, et *Breuiario*, quod in *Marco* a *Cap.* 11. excidit, Textu tamen integro, in *Luca Capitula* cenſet XXI. in *Johanne* vero XIV. Lectio rarius ab hodierna differt, et tum cum aliqua *Evangeliarii Blanchiniani* conſonat. Ita Luc. I. 3. *adſequuto a principio omnibus.* Joh. I. 18. *Deum nemo uidit umquam, niſi unigenitus filius* (ſuperpoſitum *qui eſt*) *in ſinu patris, ipſe enarrauit.* &c.

Ad calcem praeclariſſimi Codicis Manus pulcra Sec. XII. notavit: *Anno ab incarnatione domini noſtri ihesu chriſti mill. XC. IIII. indictione II. dedicata eſt hęc capella IIII. id. Julii a tiemone ſanctę iuuauenſis eccleſię archiepiſcopo. in honore ſanctę & individuę trinitatis. & ſanctiſſime crucis. & ſanctę Marię matris domini. & ſancti Nycolai confeſſoris domini. Continentur autem in altari reliquię reconditę*, quarum longa deinceps enumeratio. Nihil de hac Dedicatione in *Chronico* Monaſterii *Lunaelac.* unde Codex nobis obtigit, nihil etiam in vita *Thiemonis* T. II. *Germ. ſacrae Hanſizii*, niſi quod ad an. ſupra dictum e Chronographo *Admontenſi* notatur: Eccleſiam apud *Halle* ab eo conſecratam fuiſſe. An vero hic *Hallam Salisburgicam*, an Oppidum *Hallſtadium* non longe ab *Lunaelacu* diſtans intelligi oporteat, mihi incertum eſt.

LXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 192. f. pulcherrime ſcriptus, auro vividisque coloribus pro aevi arte picturatus hoc praefert Διοδεκαστιχον: R. 3307

Rerum iactura breuis eſt breuiter peritura.
Non permanſura. ſic ſunt mortalia iura.
Et nil ſub ſole ſtabili durabile mole.
Vt patet expreſſe. quod uiuit deſinet eſſe.
Nec repetet uitam. niſi ſolus homo quia dignus

Inter